



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

De Renovatione & Novo Cantico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

STRENA IV.

De Renovatione & novo Cantico.

Hortatur nos Apostolus non in uno loco ut exuamus veterem hominem, & induamus novum Ephes. 4. Depo-
nite vos, &c. *Et induite novum hominem qui est secundum DEUM.* Quibus verbis singulos nostrum monet, ut depositam veteri pannosam ac sordidam peccatorum veste, quam à primo nostro Parente accepimus, induamus novum justitiæ vestimentum, quod secundus noster Adam confecit, & de cælo nobis detulit. Adeundem ferè modum & alibi scribit. Col. 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum &c.* Et iterum Rom. 12. *Nolite conformari huic sæculo.* &c. Et rursum Rom. 6. *Scientes quia vetus homo simul crucifixus est, &c.* Quam Apostoli doctrinam de novo & vetere homine ut melius intelligamus, sciendum est; Adamum antequam peccasset, fuisse novum hominem seu novam creaturam, nosq; etiam futuros fuisse novos, si in eo non peccavissemus. Quod novum est, plerumq; purum est, firmum, ac forte. Merito proinde novum Adam erat, quia purus à sordibus peccati, fortis ad resistendum peccatis, firmus ad perseverandum in accepta justitia, si voluisset. At verò peccando, vetus effectus est; quia quod vetus est, impurum est, infirmum, ac debile. Factus est impurus, quia vicio corruptus, factus est infirmus ad resistendum deinceps peccatis & tentationibus. Hæc enim animadversione à DEO percussus fuit, ut qui cum posset noluerat, jam velit & non possit. De quo vide Aug. lib. 11. de Genes. ad lit. cap. 4. & seqq. & in Pl. 77. Denique effectus est debilis ad operandum, ad perseverandum diu in accepta justitia, nisi speciali Dei gratia adjuvaretur. Vetus ergo homo non est aliud, quàm vetustas & corruptio vitiorum, quam per Adæ peccatum

catum contraximus: Cujusmodi est concupiscere, desideria carnis perficere, voluptatibus indulgere, pravis inclinationibus obtemperare, carnisque motibus consentire. Hæc est Adami tunica quam exuere monet Apostolus. Non verò sufficit ut hanc solam exuamus, sed monet insuper ut induamus novum secundi hominis indumentum, seu novum hominem cum virtutibus suis. De quo Roman. 13. *Induimini D.N. JESUM Christum*, Christum verò induimus, cum ejus sanctitatem, innocentiam, puritatem, & vitæ castimoniam pro viribus imitamur, cum virtutum exercitiis strenuè operam navamus, & à peccatorum sordibus nos quàm maximè alienos reddere laboramus. Hanc vestem vobis pro Strena dabo.

Prior qui nobis suadet ut hanc vestem induamus, induit ipse Paulus, cum ita confidenter Gal. 2. *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus*. Hoc vestimentum si imposuerimus nunquam sordescemus nisi illud deposuerimus. Chrysof. serm. 13. in cap. 4. Ephes. in moralib. exhortat. *Nunquam adeò turpe est homini nudo esse corpore, atq; virtute. Quod si nudum aliquem, dic quæso, per forum incedere videres, non doleres? cum ergo tu, præter hoc indumentum justitiæ nudus discurras, quid quæso dicemus? non vides mendicos illos quos lotagas vocare debemus, quo pacto circum-eant, & quomodo illorum misereamur? Veruntamen nihil veniant merentur neque enim illis ignoscimus, siquidem taxillis ludendo vestimenta perdunt & amittunt. Quomodo ergo DEUS ignoscet nobis hoc novum indumentum perdentibus? Diabolus enim si quando nudum virtute repererit quempiam, mox faciem ei polluit & offuscatur, vulnerans etiam, & ad mala magna cogens. Nudi simus pecuniis, ne nudi reddamur delituamurq; justitiâ. Pecuniarum indumentum justitiæ vestem ledit ac perdit. Est enim spinarum amictus, tales verò sunt spina, & quanto plures nobis circumdederimus, tanto erimus nitidiores. Et lascinia quoq; justitiæ vestem nobis adimit, ignis enim est. Ignis verò hujus indumenti consumptivus est. Divitiæ tineæ sunt quemadmodum tinca cuncta permolitur, ita & divitiæ.*

E

Ista

*Ista itaq; abiciamus omnia ut iusti reddamur, novumq; induamus hominem. Sed ista fufius sunt exponenda. Ut ergo accedamus ad novam veftem, feu renovationem, sciendum est ex D. Aug. l. 14. de Trin. c. 17. renovationem hanc non momento uno fieri, ficut momento uno fit illa in Baptifmo renovatio, remiffione fcilicet omnium peccatorum, ubi nec unum quantulumcuq; remanet quin remittatur; fed quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ex infirmitate qua febris illata est revalefcere, Itē, aliud est infixum telum de corpore demere, aliud vulnus quod eo factum est fecundā curatione fanare. Ita prima curatio eft caufam removere langvoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum; fecunda, ipfum curare langvorem, quod fit paulatim proficiendo in renovatione noftræ imaginis, qua demonftrantur in Pf. 102. ubi legitur. *Qui propittatur omnibus iniquitatibus tuis,* quod fit baptifmo. Deinde fequitur. *Qui sanat omnes langvores tuos,* quod fit quotidianis accessibus cum hæc imago renovatur. De qua re Apost. 2. Cor. 4. apertiffimè locutus est. *Et fi exterior homo nofter corrumpitur, fed interior renovatur de die in diem, renovatur autem in agnitionem Dei,* hoc est, in iuftitia & fanctitate veritatis, qui fic de die in diem proficiendo renovatur, transfert amorem à temporalibus ad æterna, à vifibilibus ad invifibilia, à carnalibus ad fpiritualia. Atque ab iftis cupiditatem frænare atque minuere; illisq; fe charitate alligare diligenter infiftit. Huic doctrinæ D. Augustini D. etiam Bern. Serm. de Coena Domini confonat. *Dixi vobis fapius, nec mente excidere debet, quemadmodum in casu primi hominis omnes cecidimus. Cecidimus autem super acervum lapidum, & in luto, unde non folum inquinati fed & vulnerati, & graviter quaffati fumus. Lavari quidem possumus citò, ad fanandum verò opus est curatione multis. Lavamur igitur in Baptifmo, quo deletur chyrographum damnationis noftræ, & gratia hac nobis confertur, ne jam nobis cõcupifcentia**

centia noceat, si tamen à consensu abstinemus, atq; ita tanquam sanies inveterati ulceris remouetur, dum tollitur damnatio, & responsum mortis quod prius inde manabat.

Sed quis poteris tam efferos motus frangere? quis pruritus ulceris huius ferre queat? confidite quia & in hoc gratia subvenit, & ut securi sitis, Sacramenti Domini corporis & sanguinis Christi investituram habetis. Duo enim illud Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis & in gravioribus peccatis tollas omnino assensum, si quis vestrum non tam citò modo, non tam acerbos iracundie sentit motus, invidia, luxuria, aut caterarum huiusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo, gaudeat quòd pessimum ulcus accedat ad sanitatem. Sic Bernardus insinuat hanc de qua loquimur renovationem paulatim perfici per Sacramentorum usum & frequentationem, potissimum SS. Eucharistiæ. Huiusmodi porro innovationem docent nos creaturæ irracionales, Serpens & Aquila, Phoenix, quas nobis Scriptura proponit.

Serpens cum se gravatum experitur senio, veterem pellem ut exuat facit quinque, eadem nos imitari convenit. 1. Diebus aliquot abstinet ab alimento. 2. Quendam herbam amarā comedit. 3. Se immergit aquæ & se abluit. 4. Foramen petrae violenter intrat, veteresque deponit exuvias. 5. Calori se exponit ut novam pellem fortificet ac induret. Hæc nos etiam facere oportet, qui vetere homine sumus prægravati, & spiritu mentis cupimus renovari. Primò domandum est corpus abstinentiâ & jejuniis & castigationibus. Ita fecit Judith de qua cap. 8. *Erat Judith cilicium habens ad carnem & jejunans.* Et 1. Cor. 9. Paulus de se dicit. *Castigo corpus meum & in servitutem redigo.* 2. Comedenda nobis amara herba, hoc est, eliciatur contritio peccatorum, ut verè possimus dicere Isai. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine anima mea.* 3. Lavanda lacrymis

erymis anima, ut fecit ille qui dixit Pf. 6. *Lavabo lectum meum, lacrymis rigabo stratum meum.* 4. Foramina petrae, id est, vulnera Christi, qui Petra dicitur in Scriptura, per devotam meditationem conemur intrare, & ibi antiquam peccatorum pellem deponere ac relinquare. 5. Exponamus nos Soli Justitiæ, ut novus homo confirmetur, & nova pellis induretur, ac bonis operibus assuescat. Ad hæc omnia Christus D. nos exhortari intendit, cum serpentinam prudentiam nos vult imitari Matth. 10. *Estote prudentes sicut serpentes.*

Jam verò quoad Aquilam, dicit Pf. 102. *Renovabitur ut aquila inventus mea.* De qua renovatione Authores diversa tradunt. Quidam dicunt, Aquilam postquam senuerit, pennis gravari, & oculis fieri obtusis, ut nec altè volare, nec solis radios directè intueri possit. Sentiens ergo se deficere in istis, in quibus maximè solita est prævalere: fontem quærit, in quem se ter immergit, & sic veteribus plumis exuitur, & novis postea succrescentibus induitur, pristinoque vigori restituitur, & quodammodo juventutem recuperat, reparat etiam oculorum aciem. Scribunt alii. Aquilam quolibet decennio donec ad centum pertingat annos, ignem petere elementarem, & ab illo ambustis pennis sese in mare dejicere, indeq; novas illi plumas succrescere, ac ita redire in juventutem. Ad eundem modum cum nos ipsos peccatorum pondere prægravatos senserimus, ut cælestia petere nequeamus, mentisq; aciem peccatorum caligine obscuratam in Solis Justitiæ splendorem derigere non valeamus, in fonte lacrymarum nos expurgemus & renovemus. Quem fontem desiderabat Jeremias cum diceret cap. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum?* Per hunc fontem mentis puritas & novitas acquiritur. Sicut enim post longam pluviam sequitur magna aëris claritas, sic post multos lacrymarum imbres magna oritur mentis serenitas. Alii tamen
cum

eum S. Aug. in Pf. 102. dicunt. Aquilam cum ad senectam deven-
 erit, rostrum acquirere aduncatum superiori labio super ex-
 crescente inferiori, ita ut hic uncus quo incurvatur rostrum su-
 perius supra inferius non patiatur eam cibum sumere, atque ita
 necessario viribus deficere, quod ubi sentit, naturali quadam
 industria, ad petram advolans, & attemperans rostrum attritio-
 ne, aufert impedimentum cibi sumendi. Impedimento sublato
 cibum sumit, viribus reparatur, ac modo quodam rejuvenescit.
 Hunc rejuvenescentis aquilæ modum imitari studeamus. Est
 autem hoc aduncum rostrum, ratio, seu voluntas ad pravam
 sensualitatem inclinata, fomiti pravo, qui infernè habitat,
 condescendens, & peccato illi quod in carne habitat, consen-
 tiens. Ab hoc enim aduncato rostro impeditur homo
 ne cibum animæ sumat, ad salutem & veram vitam necessari-
 um, de quo cibo per Salvatorem dicitur. Joan. 4. *Meus cibus est
 ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Et iterum Joan. 6. *Opera-
 mini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Et
 rursum. Matth. 4. *Non in solo pane vivit homo &c.* Hunc panem
 sumere non potest qui rostrum habet aduncatum & incurva-
 tum, atque ita continuo defectu in seipso contabescat, & tendat
 ad interitum necesse est. Quemadmodum conqueritur Pœni-
 tens ille qui dicit. Pf. 108. *Percussus sum ut fenum, & aruit cor me-
 um, quia oblitus sum comedere panem meum.* Hic igitur ne pereat
 & morti æternæ succumbat, accedat ad Petram, Petram inquam
 mysticam, Christum D. ad eum aduncatum hoc rostrum atte-
 rat & allidat. Pf. 146. *Beatus qui allidit parvulos suos ad Petram.*
 Id est. Qui omnes pravos concupiscentiæ suæ motus, & pra-
 vas inclinationes, contemplatione Passionis Christi frangit &
 atterit, rostrum sic cōtritum ipse pro Sacrificio acceptabit Pf. 50.
*Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum
 Deus non despiciet.* Ubi autem hoc peccator effecerit, tum pa-
 nem quem comedere oblitus fuerat, resumet: tum iterum

gratia Dei & verbo ejus pascetur, tunc exultabunt ossa humiliata, reparabitur virtus spiritus, creabitur cor novum, spiritus rectus innovabitur in visceribus, & redibit læticia salutaris DEI.

Quod nunc ad Phœnicis renovationem attinet. Scribit S. Ambr. lib. 5. Hexam. cap. 23. Phœnicem, ubi quingentis annis vixit, & vitæ suæ finem adesse præsentit, construere sibi nidum quasi thecam de thure & myrrha cæterisque odoriferis lignis, in quam intrans se comburit, de cinere oriri vermem qui paulatim adolescens, alarum remigia acquirit, tandemq; novi Phœnicis speciem & naturam induit. *Fac & tu, ait idem Doctor, tibi thecam, expolians veterem hominem cum actibus suis, novumq; indue. Theca tua fides est, imple eam bonis virtutum odoribus, agnosce diem mortis tuæ. Intravit Paulus thecam suam dicens 2. Tim. 4. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: implevitq; thecam thure Fidei, odore Martyrii.* Phœnix ergo ut renovetur, thecam ingrediens seipsum comburit: sic tu dicas cum S. Job 29. *In nidulo meo moriar, cordisq; tui thecam ingressus consumas & exuras vetustas peccatorum tuorum cõsuetudines & inveteratas cõcupiscentias carnis tuæ, contemplatione ignis infernalis & horribilis gehennæ, ut ille fecit qui dixit. Pl. 76. Anos aternos in mente habui, meditatus sum nocte in corde meo, exercitabam & scopebam spiritum meum. Cogita, ut monet Basil. in Pl. 3. Profundum barathrum, inextricabiles tenebras, ignem carentem splendore, urendi quidem vim habentem, sed lumine privatum, deinde vermium genus venenum emittens ac carnem vorans, postremo approprium illud & confusionem sempiternam. Hac time, & hoc timore animam tuam à peccatorum tuorum concupiscentia, tanquam freno quodam reprime.* Jam verò cinis in quem Phœnix convertitur, & vermis qui inde nascitur, repræsentant considerationem mortis, quæ est efficacissima ad novam vitam inchoandam,

andam novumque hominem efficiendum. S. ergo Jobum 17. imitare qui dicit. *Putredini dixi, Pater meus es: mater mea & soror mea vermis.* Dic cum Abrahamo Gen. 18. *Loquar ad D. DEum meum, cum sim pulvis & cinis.* Memento quotidie quia cinis es, & in cinerem reverteris. Dic cum Propheta Pl. 21. *Ego vermis & non homo.* Hæc dicendo, & seriò cogitando pennarum remigia acquies, quibus ad cœlum evolare poteris, cujusmodi sibi postulat qui dicit. Pl. 54. *Quis dabit mihi pennas ut aquila, &c.*

Hoc de renovatione trium dictorum animalium ad instructionem nostram. Renovamini ergo in novo hoc anno, & omnia corporis membra quæ primò fuerunt vitiorum instrumenta, convertite in virtutum instrumenta juxta Apostolicam admonitionem Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra, &c.* Et iterum ibid. *Non exhibeatis membra vestra arma, &c.* Sic ergo vivite hoc anno, ut de vobis liceat dicere: Cor. 6. *Hec fuistis aliquando, id est variis obnoxii vitiis sed abluti estis.* &c. Sint mores in melius mutati ut quilibet de se dicere valeat, quod Juvenis quidam, de quo S. Ambr. lib. 2. de pœnit. cap. 2. *Ego non sum ego.* Id est, non sum amplius fornicator ut fui, luxuriosus, ebriosus, &c. ut fui. Adolescentem, inquit S. Doctor, quendam ferunt propter amores meretricios peregrè profectum, & abolito amore regressum, postea veteri occurrisse dilectæ, quæ ubi non interpellata, putabat se non cognitam, & rursus occurrens Juveni dixit. *Ego sum,* respondit ille, *sed ego ille non sum.* Rogemus DEum, ut nobis det cor novum, & spiritum novum Ezech. 11. ut auferat cor lapideum, & det carneum. ibid. 35. cujusmodi post multas preces tandem obtinuit D. Aug. ut de se pulchrè scribit, & confitetur 8. Confess. 11. & 12. Similiter S. Cypr. lib. 2. epist. 2. & Apostolus qui ex lupo factus est Agnus, ex persecutore acerrimus Ecclesiæ defensor, ex raptore Doctor gloriosus &c.

Hanc

Hanc de qua agimus renovationem etiam novus hic Puer Bethleemicus nos docet, qui & ipse admirandam novitatem in seipso exhibuit, & omnia fecit nova. Factus est enim nobis novus Adam, qui simul sit & Deus & homo. Factus est novus Adam non de terra terrestris, sed de cælo cælestis. Novo modo conceptus absque virili semine. Novo modo de Virgine natus Matris integritatem non violans. Unde Jeremias 31. *Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum.* Idem novum assumpsit nomen Isai. 62. *quod os Domini nominavit.* Idem novo modo per novam stellam innotescere mundo voluit. Novi testamenti Author, novi consilii Angelus, novus legislator, novam ferens doctrinam, novam gratiam: Sacramentorum quoque innovator, novarum beatitudinum promulgator, novorum miraculorum patrator, novæ vitæ in humilitate, paupertate, castitate &c. inchoator, novum novi anni Sacrificium. Deniq; totus novus per resurrectionem. Et hæc quidem in præsentī vita, in futura quoque faciens omnia nova, novos cælos, novam terram, novam Jerusalem, nomen daturus novum in calculo candido, innovaturus quoque ut Aquilæ juventutem nostram, totam postremò immutaturus ac innovaturus naturam. Cùm ergo omnia novus hic Rex faciat nova, cùmq; omnia innovet in hac vita, & in futura: quomodo nos in vetustate nostra manebimus? quomodo non etiam omnia innovabimus? *Recedant igitur recedant vetera, nova sint omnia, corda, voces, & opera.* Voces, inquam, nam & novum canticum cantare jubet Propheeta Regius omisso veteri Pl. 32. *Cantate Domino canticum novum, bene psallite ei in vociferatione.* Et Pl. 143. *Deus canticum novum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi.* Forsitan quæres, quodnam sit canticum illud vetus quod amodò cantare non oporteat? rursus, quod sit novum canticum, quod sit deinceps cantandum? Canticum vetus est, tota veteris & carnalis hominis con-

nis con-

nis conversatio, cum omnibus desideriis, affectibus, diſtis, & actibus suis. Hoc vetus canticum canunt, qui nihil nisi terrena & carnalia sapiunt, & quorum cogitationes & studia in his versantur. De his solliciti, secum loquuntur & cum aliis, nec de rebus cœlestibus vel mentionem faciunt, in illis solis conſectandis occupantur. Quorum denique in his otium & negotium.

È contrario verò novum canticum est, spiritualis iustificatio & novi hominis vita: pura, sancta que desideria, sermones & colloquia, quæ ad pietatem & salutem æternam pertinent, quæ proximos ædificant. Opera denique misericordiæ, iustitiæ, castitatis, sobrietatis, cætera que omnium virtutum officia. Hoc est quod D. Aug. breviter dicit in Pl. 149. *Vetus homo, vetus canticum: novus homo, novum canticum. Vetus Testamentum, vetus canticum. Novum Testamentum, novum canticum. In veteri Testamento promissiones sunt temporales & terrena, quisquis terrena diligit, vetus canticum cantat. Qui vult cantare canticum novum, diligat aterna. Et rursum in Plal. 95. Vetus cantat cupiditas carnis, novum cantat charitas Dei. Quidquid cantaveris de cupiditate, vetus cantas. Et si non sonant in ore verba cantici novi, non est speciosa laus in ore peccatoris. D. Prosper Augustinum secutus sentent. 82. Canticum novum est carmen fidei, quæ per charitatem operatur. Iterum novum canticum est gratia novi testamenti. Hanc gratiam qui acceperunt & secundum eam vivunt, Deo non seculo & carni servientes, hi novum cantare dicuntur, idè verò novum quod non à veteri Parente Adam edocemur, sed à novo homine Christo, non per veterem generationem, sed per novam regenerationem & lavacrum, non per carnem & sanguinem, sed per aquam & Spiritum Sanctum.*

Vetus canticum nostrum fuit quod ab Adamo & Eva didicimus, quo culpam agnoscere nolumus Gen. 3. sed in alios rejicimus. Recedat hoc vetus canticum, & cantemus novum, dicamusque cum Davide 2. Reg. 24. *Ego sum qui peccavi, qui iniquè egi.*

F

Conf.

Confitebor adversum me iniquitatem meam Domino. Pl. 31. Peccatum meum contra me est semper. Et cum Daniele cap. 3. Peccavimus, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Et cum Publicano Luc. 18. Deus propitius esto mihi peccatori. Prov. 28. Confiteamur peccata nostra & relinquamus ea, ut misericordiam consequamur. 1. Joan. 1. Fidelis est enim DEUS ut nobis remittat &c. In operibus bonis vetus est canticum, quo nobis tribuimus, & in iis gloriamur tanquam non accepissemus. Recedant hæc vetera cantica, & audiantur nova, ut qui gloriatur 2. Cor. 10. in Domino gloriatur. Et Pl. 118. Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Et Isai. 26. Tibi Domine gloria, nobis autem confusio faciei. Et, Non ego, sed gratia DEI mecum. Omnia opera bona operatus es in nobis Domine. In adversis & tribulationibus vetus est canticum, DEO obmurmurare, & cum Judæis occinere, Ezech. 18. Patres nostri comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Cesset hoc vetus canticum, & dicamus novum. Omnia quæ fecisti nobis Domine in recto iudicio fecisti. Justus es Domine, & rectum iudicium tuum. Omnia bene fecit. Job. 1. Dominus dedit, Dominus abstulit &c. Et 1. Reg. 3. Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat. In rebus prosperis vetus canticum est. Luc. 12. Anima mea habes multa bona, &c. comede, epulare. Vetus canticum est Sap. 2. Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Sileant hæc cantica, audiantur nova. Pl. 15. Dominus pars hereditatis meæ. Pl. 72. Domine quid mihi est in cælo, & quid volui super terram? Philip. 3. Omnia arbitratus sum ut stercora, ut Christum lucrifacerem. In sumenda vindicta canticum vetus est. Vicem pro vice. Cesset hoc vetus canticum, canamus novum. Ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Luc. 23. & Act. 7. Ne statuas illis hoc peccatum. De morte vetus canticum. Siccine separas amara mors? Et Eccl. 41. O mors quam amara est memoria tua! Non audiat hoc ultra, sed novum. Philip. 1. Cupio dissolvi & esse cum

se cum

se cum Christo. Et, *Mihi vivere Christus, & mori lucrum*, Et Luc. 29
Nunc dimittis Domine servum tuum in pace. Et Pl. 4. *In pace in idipsum dormiam & requiescam*. Et Matth. 26. *Si non potest hic calix transire à me, nisi bibam illum, fiat voluntas tua*. Canticum vetuse est. *Bibamus, edamus, cras enim moriemur*. Suspendantur hæc organa, & audiantur nova. 1. Petr. 5. *Fratres sobrii estote*. &c. Luc. 1. *Videte ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate*. Et Rom. 14. *Non est regnum DEI esca & potus*. *Cantate Domino canticum novum, cantate omnis terra*. Nec sufficit ut lingua & ore canamus, sed curandum, ut animus & cor à lingua non dissideant. Nec aliud verbis, aliud vitâ, operibusque canatur, sed canticum cum cythara conjungatur. Psal. 32. *In Psalterio decem chordarum psallite ei*. Decachordum Psalterium juxta D. Aug. in Pl. 9. significat decem præcepta legis. *Non est speciosa laus in ore peccatoris*. *Laudat verbo, blasphemat vitâ*. *Laudat canticum in verbis, sed non cytharâ in opere*. *Si verba sola dicis quasi canticum solum habes, cytharam non habes*. *Non valdè aures meae inclinantur ad vocem cantoris, sed queso morem operantis*, inquit idem in Pl. 149. *Benè canit, qui glorificat, & portat DEum in corpore suo*. 1. Cor. 6. *Benè canit qui voluntatem Patris cœlestis facit*. *Benè canit qui in omnibus gloriam DEI quærit, sive manducet, sive bibat, sive alud quidquam agat*. 1. Cor. 10. *Benè canit, qui in omni tempore Dominum benedicit, & in cujus ore laus semper ejus*. Psal. 78. *Implemini ergò Spiritu, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis & canticis spiritu cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino*. Ephes. 5. Et Col. 1. *Gratias agentes Deo & Patri qui dignos nos fecit in participatione sortis Sanctorum, in lumine, qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum dilecti Filii sui*. Si sic cantaverimus in hac vita, futurum est ut in æterna vita canamus canticum novum Beatorum, de quo D. Joann. Apocal. 5. *Quatuor animalia & viginti seniores ceciderunt coram Agno, habentes*

bentes singuli phialas, & cytharas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Et cantabant canticum novum dicentes, Dignus es Domine &c. Et rursum ibid. Dignus est Agnus, &c. Et iterum. Sedeni in throno & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum. Denique cap. 4. Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Et. Dignus es Domine DEUS nolite accipere gloriam, & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt. Beati, ergo, qui habitant in domo tua Domine in secula seculorum laudabunt te. Isai. 38. *Novas semper harmonias vox meloda concrepet, in jubulum prolata mulcent omnes organa. Digna, per quem sunt victores, Regi dant præconia.* Ut cavit S. Aug. in lib. de gloria paradisi.

STRENA V.

De Tempore, & tempeſtiva Pœnitentia.

Siquis nostrum ritè perpendat, justamque ad trutinam libret, non tantum SS. Patrum, verum etiam Ethnicorum vitam, is facile advertet, quam plerique Christianorum hujus ævi sint ipsis dissimiles, tum multis aliis in rebus, cum vel maxime in habenda temporis ratione, eoque fructuose & salubriter expendendo. Solebant enim hic non tantum SS. illi Patres ac Catholici Doctores, Cyprianus, Basil. Chrysoſt. Ambr. Hieron. aliique innumeri sanctissimi Viri, sed etiam Ethnici plurimi exactissimam habere temporis rationem, cum scirent nihil eo pretiosius inveniri, nec aurum ullum, nedum argentum illi conferendum. Hinc illud dictum Lycurgi. *Rectè eruditi temporis rationem habent.* Hinc & illud Democriti. *Pretiosissimum impendium tempus.* Hinc Theophrasti. *Sumptuosissimus tempus.* Hinc denique temporis æstimationem & usum Lucilio commendans epist. 1. *Vindica te tibi & tempus quod adhuc vel auferatur, vel surripiebatur, aut excidebat, collige & serva. Pe rsuade tibi sic esse, ut scribo. Quadam tempora eripiuntur nobis.*